Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26379
Copyright: Admont, Benediktinerstift

sed continuo in bonis operibus proficit. Et exiit fama hec in universam terram illam. Quia celi enarrant gloriam dei et reliqua. Moraliter tres illi mortui a domino suscitati tria resurrectionis anime significant genera sicut superius monstravimus. Et transeunte inde ihesu secuti sunt duo ceci usque cum venisset domum accesserunt ad eum ceci. Domus ihesu celestis est ierusalem. Duo ceci duo populi sunt observatione littere et ritu gentili obcecati de futuris in seculo. Domino ergo per hoc seculum transeunte et in domum suam cupiente reverti secuti sunt eum duo ceci. Quia predicato per apostolos evangelio multi ex iudeis et gentibus ceperunt sequi redemptorem postulantes sibi misereri ut lumen bonorum consequerentur operum. 8

Et dixit eis ihesus. Creditis quia possum hoc facere vobis? Fidem eorum ipse noscens interrogat ut fidei confessio promat et confessionem virtus consequatur salusque virtutem comitetur. Quia apostolo teste corde creditur ad iusticiam ore autem confessio fit ad salutem. Dicunt ei. Utique domine. Per utique foris affirmant quod intus corde credulo gestant. Et ideo firma professio tactum meruit divine pietatis.

Tunc tetigit oculos eorum dicens. Secundum fidem vestram et reliqua. hoc est quia iam mentem vestram fides illuminat ipsa libertas oculorum lucem restituat. Et comminatus est ihesus dicens. nob

Videte ne quis sciat. Illi autem exeuntes et reliqua. Dominus hoc causa humilitatis precepit. illi autem propter memoriam gratie